



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Fasti Mariani**

**Brunner, Andreas**

**Antverpiæ, M.D.C XXX III.**

S. Antonivs Magnvs. 17. Ian.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70962](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70962)

audiisset, à binis è numero Divorum Præsulibus iussus est ad corpus redire, & flagitiosos ad frugē reducere. Grave illi fuit à Cælitum societate avelli, præsertim ubi ad animæ domiciliū corpus exanime ventum est. Ingressus tamen Angelis suadentibus toti jam Angliæ orbem (qualem vidit) cælumq; oratione suâ depinxit, annosque porro XII. sceleratis in viam reducendis impendit. Posthæc cùm Romā pietatis causâ contenderet, prius vitā quàm viam emensus est. Integritatis testimoniū demortuo corpusculum dixit quarto ab obitu anno, & ipsum integrum. Animus illuc ivit, quò assueverat jam ire. *Ex Surio.*

S. ANTONIVS MAGNVS. 17. Jan.

**A**Egyptius erat ANTONIVS, & domi suæ nobilis. In primo ætatis flore mundo moriturus ex asse pauperes hæredes scribit, subinde victoriis adversus hominū hostes malos genios nobilitatus; ab iis plagis aliquando pessimè acceptus, dum IESVM suum familiaritè deinde rogat, ubi id temporis fuisset, adfuisse spectatorē pugnæ audit. Tam propè à Deo absumus, etiā cùm longè abesse nos putamus. Aliàs dum mundum æquioribus animi oculis arbitratur, aream esse aucupis videt laqueis undique obtectam: scire percupidus, quis hos effugeret, responsum acci-



accipit, qui animo demisso esset. Subinde Martyrū pugnis cum actor adesse non posset, spectator adfuit, & hortator, iudicique saepe in veste candidā obuius mortē necquicquā ambiit, eremo pugilem sibi deposcente. Illic cum ageret, à Constantino filiisq̄ue Imperatoribus persape litteris salutatus, vicissim eos officii sui commonefecit, & à suo ad divinum tribunal crebrò iussit advertere. Natus annos C. & V. ista suis suggestit documenta: Viverent quotidie morituri: quotidie melioris animi proposita novarent: IESVM assidue suspirarent: hoc nomine clypeo in hostem uterentur: hæreticorum familiaritatem fugiendo effugerent. Sub hæc mortuus anno à partu Virginis CCC. LVIII, vitæ præconem magnum Athanasium habuit, uti & hæredem pallioli sui laceri quidem & detriti, sed quod virtutem sciret tegere. *Ex S. Athanas.*

S. LEOBARDVS C. 18. Ianuarii.

IN ingentes opes natus LEOBARDVS ad nuptias non tam invitabatur, quàm cogebatur à parentibus, quas tamen mors utriusque interturbavit. Filius sponsus, ubi iusta his persolvit, ad germanum proficiscitur. Sed hic tum fortè ebrius neque agnoscere frater fratrem velle, quin contumeliosè acceptū fide minimè germanā hospitem domo  
exi-